DE
IVRECONSVLTO OECONOMO

ILLVSTRIS
ICTORVM LIPSIENSIVM ORDINIS
CONSENSV

SVB MODERAMINE

DN. ABRAHAMI KAESTNERI

IVRIVM DOCTORIS ET PRACTICI
LIPSIENSIS

PRAECEPTORIS OMNI PIETATE
ATQVE OBSERVANTIA COLENDI

DIE XXIIX. MART. MDCCXXXX.

DISSERET

CHRISTOPHORVS HENRICVS
POENITZIVS
DRESDENSIS.



LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

A

MONSIEUR

MONSIEUR AVGVSTE FRANCOIS ESSENIVS

SEIGNEUR DE KLEIN-KMEHLEN,
CONSEILLER DES COMMISSIONS ET GRAND
BAILLIF DU GRAND BAILLAGE DE SA MAJ.
LE ROI DE POLOGNE ET ELECTEUR
DE SAXE A DRESDE

ET

A MONSIEUR

MONSIEUR

JAQVES GEOFFROY

ESSENIVS

CONSEILLER DES COMMISSIONS ET CAISSIER
DE LA COUR DE SA MAJ. LE ROI DE POLOGNE
ET ELECTEUR DE SAXE

MES FORT ESTIMES PATRONS.

MESSIEURS,

De prendre part à ce qu'il arrive de bien ou de mal à ceux, de qui l'on tient le jour, c'est un de principaux devoirs des enfans. Pour moi, je vais travailler toûjours assiduëment à m'en acquitter. Mais voilà aussi la raison, qui me rend hardi de VOUS offrir cette piéce, par laquelle il faut rendre

conte de mes etudes. Mes parens ſont tres heureux par l' honneur de VOTRE affection, dont VOUS, MESSIEURS, avez la grace de les honorer particuliérement. Et c'eſt la même choſe, qui me VOUS oblige d' autant plus, que je ſuis ſenſible à ce bonheur de mes parens. Il y a long tems, que j' ai medité la maniére de VOUS convaincre de ma vive reconnoiſſance. Mais je n' ai trouvé rien ſi propre à mes deſirs, que l'occaſion préſente. I' en profite donc avec VOTRE permiſſion, faiſant connôitre à tout le monde par là, que VOS

bons

bons ſentimens pour ma famille demandent de ſi grandes obligations, que je ne ſai aſſez de tours pour VOUS en remercier. Ayez la bonté, je VOUS ſupplie tres humblement, de bien recevoir cette petite marque de reconnoiſſance. Conſervez, s'il VOUS plait, VOTRE faveur fort precieuſe pour ma maiſon, et faites me jouir auſſi de celle-ci, en ayant ſoin de ma fortune, et en me donnant en même tems d'occaſion de mettre en uſage ce que j'ai dit dans ma diſpute. Si je n'ai pas encore aſſez de mérites, je redoublerai à l'avenir mon atten-

tion


tion de m'en rendre digne. Car il n'y aura jamais perſonne, qui VOUS ſouhaite plus ardemment toutes les felicités poſſibles, et qui va plus loin ſur le chapitre du reſpect, qu'on peut avoir pour VOUS, que moi,

MESSIEURS,

VOTRE

tres humble et tres obeïſſant
Serviteur

CHRISTOFFLE HENRI POENITZ.



DISSERTATIO IVRIDICA

DE

IVRECONSVLTO OECONOMO.

PROOEMIVM.



Appropinquat tempus, quo Lipsiam nobilem, copiosam, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis, affluentem, relinquere cogor. Prius autem, quam illud fiat, quid in me ingenii sit, publice testari et futurae salutis ratio suadet, et iussus *Principis* poscit. Satisfacturo itaque huic officio, ac dubio primum aliquantisper, quodnam argumentum *Instituti ratio.*

foret eligendum, cum permultas iuris doctrinas a versatissimis in iurium scientia hominibus accurate, copioseque, tractatas esse viderem, *paterna* demum, *ac mea conditio* praesens obtulit *de* IVRECONSVLTO OECONOMO thema. Equidem nec inanis fuisset labor, si separatim cogitata quaedam aut *de Iureconsulto*, aut *de Oeconomo* publice communicassem. Disserere potuissem *de Iureconsultorum* virtutibus, itemque explicare officia, et quantum vtilitatis Reipublicae adferant, quia ius constare nequit, nisi sint Iurisperiti, per quos illud quotidie in melius producatur, *v. l. 2. §. 43. π. de O. I.* vbi neque a re alienum fuisset, delere simul maculam, quae per quorundam iniquiores artes iam penitus fere in Aduocatorum nomine insedit, et tantum commune odium effecit, vt haud paucis prorsus e Republica extirpandi fuerint visi. Dicere potuissem de necessitate artis *Oeconomicae* peritorum in Republica bene constituta, quae sane vel exinde patet, quod, quo cultior est in prouincia Status Oeconomicus, eo largius inde sumantur, quae ad culturam Status religionis, ciuilis, et militaris, faciunt, quos in Republica praeprimis attendendos esse, recte iudicat BVRCH. GOTTH. STRVV. *in diss. 2. §. 1. Synt. histor. Germ.* Verum magis has ideas iungere placuit, et de illo in praesenti aliqua dicere, *vtilissimum omnino ICto esse*, praeter alias scientias *et in Oeconomicis*, quantum sat est, *scire*. Det Deus, vt ex voto succedat opus!

§. I.

§. I.

Suo iure BALDVS ad *l. 10. C. de oper. libert. n. 9.* ait, quod a vocabulorum cognitione sententia omnis incipiat. Nomina enim quasi quaedam picturae sunt, ac characteres, quibus ipsa rerum innotescat natura vid. GELLIVS *N. A. L. 13. c. 10. l. 1. pr. de reb. cred. et l. 1. pr. de I. et I. et l. 1. §. 1. de pact.* Sed mei iam non esse videtur, studiose inquirere, vnde verba in rubro obuia dicta sint, aut, quales significatus alios, vocesue similes, habeant, explicare. Cuiuis enim notum est, quid vi vocis denotet OECONOMVS, quidue ICTVS. Illud saltim monere possem, quod vocabulum ICTI hic in laxiori significatu de omni, qui versatur in studio iuris, et sub OECONOMO non is solum intelligi debeat, qui pro sua ipse conditione didicit honeste acquirere opes, partasque tueri, sed talis etiam, qui aliorum omnis vitae generis hominum modos non ignorat, quibus et comparare sibi soleant facultates, et quaesitas prudenter administrant, aut administrare debeant. *Quis hic ICtus?* *Quis Oeconomus?*

§. II.

Ita igitur potius ante omnia ICTVM OECONOMVM definio, aut, si mauis, describo, quod sit *persona, quae ex saniori consilio non tantum in doctrinis iuridicis, sed etiam Oeconomicis, solidiorem sibi cognitionem adquisiuit, aut adhuc in ea adquirenda elaborat, vt hac ratione magis publice prodesse possit.* *Definitio.*

§. III.

Consulto dictum fuit *ex saniori consilio.* Peruasit enim, quod mirum, communis fere omnium eruditorum animos opinio, res Oeconomicas scire non esse scientiam, eruditi opera dignam, vt monet DOEHLER in der 7. Erinne- *Definitionis explicatio.*

rinnerung seiner Untersuchung des heut zu Tage überhand nehmenden Geld- und Nahrungs-Mangels, inquiens: Man hält die Haushaltung vor etwas geringes, und unanständiges, ja vor ein Werck, das nur denen Verwalthern, Pachtern, und dergleichen Leuthen zukomme. Faciliorem experientiae beneficio artis Oeconomicae apprehensionem esse iactitant multi, quam vt opus sit altioribus scientiis eadem praeripere tempus. Si quis ergo liber ab huiusmodi praeiudiciis, quae *Gener. Dn.* A ROHR in seiner Haus-Haltungs-*Bibliothec c. 1. §. 11. seq.* vna cum aliis scite satis perstrinxit, in hoc etiam cognitionum genere hospes esse nolit, sanius omnino consilium, ac prorsus meo iudicio laudabile, cepit.

§. IV.

ICti, qua talis, officium proprium.

Praecipua quidem ICti cura esse debet, vt insignem sibi comparet in cognoscendis, interpretandis, ac rite applicandis legibus facultatem. Scire namque leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim, ac potestatem. *v. l. 17. π. de LL. SCtis, et consuet.* Datum praeterea ICto est, quod Principi placet, interpretatione prudenti reddere perspicuum, cum non possint omnes articuli legibus comprehendi, *v. l. 12. π. de LL.* Nec quicquam fere praeclarius ICto esse potest, quam si tanta inclaruerit iuris scientia, vt iure suo de se dicere possit, quod ille PYTHIVS APOLLO apud ENNIVM:

Suarum rerum incerti? quos ego mea ope ex
incertis certos, compotesque consili,
dimitto, vt ne res tractent turbidas.

§. V.

Cum studio Iuris recte ICtus et studium Oeconomicum iungit.

Sed nondum ita ius nosse sufficiet. Sunt alia etiam discenda, quae cognitioni, aut adplicationi iuris perfectiori subministrant, nec immerito illuc Oeconomica refertur.

Verum

Verum enim omnino mihi videtur iudicium ANONYMI cuiusdam in discursu *de necessitate ICti ad Hyppolithi a Lapide Praef. Libri de Ratione Status*, §. 20. *Iurisprudentiam Philosophicarum disciplinarum praecedentem notitiam praesupponere, nempe Politices*, OECONOMICES, *Ethices* etc. *tum, quia sint partes, et principia iurisprudentiae, tum, quia suppeditent rationes et caussas actionum, et honestatis fontes aperiant*. Cui et accedit HENELIVS *in Tr.* sub tit. *Statua mercurialis. c. 8. p. 149.* suadens: *vt nec* OECONOMICA PRVDENTIA *plane destituatur* PERFECTVS ICTVS, addita ratione, *ne in Principum aulis ad consilia de administratione bonorum camerae ferenda mutus appareat, sed vt omnibus ex partibus prudentis Politici munere possit defungi*,

§. VI.

Sed non superficiarium esse debet.

SOLIDIOR porro rerum Oeconomicarum COGNITIO in IVRECONSVLTO OECONOMO requisita fuit. Sed in quibusnam, quaeso, absoluetur illa? Scientiam esse oportere *ICto* existimo *in Oeconomica Principis*, seu *publica*, pariter, *ac ciuium*, seu *priuata*, et tantam quidem, quae digna est erudito. Scire namque eruditis est, rem nosse per caussas. Neutiquam idcirco peracta res erit, si velit degustare tantum aliqua, illuc spectantia, et fugitiuo quasi percurrere pede. In acquisita notitia vlterius meditando progredi fas est, adeoque nec *ICti* scientiam fugere debent artes ac disciplinae, *artis Oeconomicae* administrae, in quarum numero sunt *doctrinae Physices, Matheseos*, aliaeue, quibuscum Oeconomica veluti cognationem aliquam habere videtur.

§. VII.

Finis huius studii.

Praecipuus laboris eiusmodi finis PVBLICA VTILITAS erit, quae cuiuis optimo prae reliquis proposita esse

 debet.

debet. Efficiet enim ita instructus *ICtus* operas suas patriae tanto vtiliores, eoque magis ab ea expetendas. Quamuis nec negandum, quod propria simul ipsius in eo vertatur vtilitas. Sciet enim hac ratione rem suam familiarem sic administrare, ne sera in fundo debeat parsimonia esse, cum inconsultius forte de facultatibus suis sperauerit amplius, quam fuit in iis, vt cum IVSTINIANO loquar, *§. 3. I. qui et ex quib. caus. manumitt. non poss.*

§. VIII.

Cur suadendum ICto studium Oeconomicum.

Sed quaenam adest ratio tanta, quaeret quispiam, quae compellere *ICtum* possit, vt temporis, quod debetur disciplinis iuridicis, magnam quoque partem notitiae rerum Oeconomicarum transmittendam esse iudicet? Enumerare iam liceat vnam et alteram, quae mihi nullius animum de vsu artis Oeconomicae, *ICto* etiam proprio, dubium relictura videtur. An omnia recte sese habitura sint, penes alios, qui plus, quam ego, vident, iudicium esto.

§. IX.

Ratio I. Ars Oeconomica praeprimis publico vtilis est.

Iure sibi Oeconomica vindicat laudem, quod sit salutis publicae fundamentum firmamentumque, ac insigniter communi seruiat vtilitati. Eandem ipsi MORHOFIVS *Tom. 3. Polybist. lib. 3. §. 1. p. m. 504.* his verbis tribuit: *Et Oeconomica pertinet ad Practicam Philosophiam, estque sane dolendum, adeo iacere hanc partem, et frigide tractari, quae tamen fundamentum sternit omni Reipublicae.* Docet sane viam, vnde quilibet in Republica necessaria vitae praesidia, Respublica vero tota neruum illum rerum gerendarum accipiat, sine quo et belli vtilitas, et pacis dignitas, sustineri nequit. Floret prouincia, vbi cuilibet artem illam Oeconomicam pro suo vitae genere tuto exercere licet, ast ruit etiam salus eiusdem, quamprimum eam vis forsan impedit belli. Turbatus enim Reipublicae Status Oeco-

cono-

conomicus reliquos omnes ſecum in eandem calamitatem trahit.

§. X.

Quod ſi ergo tam inſignis in hac arte verſetur Reipublicae vtilitas, quae tanto maior fit, quo cultior illa indies redditur, nonne *ICtum* minus decere videtur, in tam ſalubri arte non eſſe verſatum? Eſt certe cuiusuis Reipublicae membri, quantum poteſt, ad communem vtilitatem afferre. Sumus enim patriae nati, et eidem omnem noſtram conſecrare debemus operam. Fiet autem procul dubio vita *ICti* tanto patriae fructuoſior, quo maior eius ſtudii pars eſt in addiſcenda etiam arte tam fructuoſa, quam Oeconomica. Cognitio eorum, qui neſciunt literas, *partim* in Oeconomica ruſtri, *partim* in vrbana, quam, prout fert qualitas vitae, vertunt in vſum, multum quidem vtilitatis publicae profert; Sed ſi quid *ICtus* ad augendam, excolendamque, hanc vulgarem, et ab experientia petitam ſolummodo, notitiam conferre valeat, quanto magis tum patriae vtilis erit?

§. XI.

De Stoicorum Philoſophorum Oeconomia.

De Stoicis nobis MORHOFIVS tradit, quod nec mechanicarum artium rudem Philoſophum eſſe voluerint. Sic enim *lib. I. c. 1. n. 4. Polyhiſt.* ait: *Vt ille*, Philoſophus nempe, *et diues, et rex, et nobilis: ita et ſutor, et faber, et piſtor, ſibi erat.* Vtinam ſit idem artis Oeconomicae in noſtro aeuo pretium! Siue enim hi *Stoici Philoſophi* eas ipſi exercuerint artes, quod idem vult MORHOFIVS, cum (*vtrum bene, an male, iis relinquo*) indignum Philoſopho crederent, ſi aliorum miniſteriis ad vitae ciuilis neceſſitates vteretur: ſiue regulas tantum ſcire voluerint, multum ſane videndo, et explicando rerum rationes, publice prodeſſe

esse potuerunt. Idemque pari iure de notitia rerum Oeconomicarum, ICto familiari, poterit dici.

§. XII.

Obiectiones.

Sed contrarias hic video sententias. Obiicient enim forsan alii, iam satis laboris esse ICto in cognitione legum, et parum ideo relictum iri temporis, quod huic arti transmittere possit: porro, sat vtilitatis capere Rempublicam ex studio iuris, cui se dedat ICtus: et denique minus conuenire dignitati Studii Iuridici, si quis ei addictus agrum vertere, spargere semen, vestes, calceosue, sua conficere manu, aut mercatorem se gerere velit.

§. XIII.

Refutatur: nihil restare iuris studioso temporis ad discenda Oeconomica.

Nec quidem ego diffiteor, multarum lucubrationum opus esse, si quis velit abundare praeceptis institutisque iuridicis. Approbo etiam inde propositum ICti *in l. 20. π. de fideicomm. libertat.* vbi ita de se dicit: κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην, i. e. *etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere.* Attamen et idem mihi aliquis facile largietur, quod, si quando intermittatur labor, tempus a multis legendo, discendo, aut agendo inutilia, consumatur. Nonne autem quis ageret laudabilius, si conferret illud in *artem Oeconomicam*, et delectabilem, et cognitione omnino dignam? Quod si etiam quilibet ex mente CICERONIS *lib. I. de Offic. c. I.* tamdiu discere velle debeat, quoad eum, quantum proficiat, non poenitet, quando, quaeso, ICtum poenitebit, in ea proficere arte, quae tam egregium in vita communi praestat vsum. Sit etiam quantumcunque temporis reliquum, praestabit tamen, nec vnquam poenitebit, huic illud tribuisse studio, sine quo magna vtilitatis parte caremus. Nam quarumcunque rerum vsus frequens et quotidianus est, illarum etiam cognitio prorsus necessaria,

et

et maxime fructuoſa *a. l. 25. de liber. leg. §. 1. pr. de ſuſp. tut.*

§. XIV.

Qui ſe cum ſcientiis iuris ſat inſtructos ad Rempublicam acceſſuros eſſe credunt, hos mihi liceat affari cum ISOCRATE *in Orat. I. ad Demon.* Χρὴ τοὺς παιδείας ὀρεγομένους μηδενὸς μὲν ἀπείρως ἔχειν, πανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν, *h. e.* eruditionis ſtudioſos nullius rei eſſe rudes, ſed vndiquaque colligere vtilia, decet. In iure quidem bene verſatus multum communi vtilitati ſeruit; Sed cum ego cuiusuis eruditi eſſe exiſtimem, nihil ſcitu dignum negligere, quo eum patriae magis vtilem fore, ſpes eſt, ICto inde ſuadendum eſſe iudico, vt prae aliis etiam ex Oeconomicis colligat vtilia quaeuis. Nec erit, cur putet aliquis, ISOCRATEM erudito imponere onus, quod nullius humeri ferre valeant. Vidit enim et ipſe, nullum vltra poſſibile obligari, *v. l. 185. de R. I.* nec omnes omnia poſſe; Hinc in tantum ſolummodo ex eruditi re eſſe oſtendit, res ſcire permultas, in quantum quisque maiorem ſe ex earum ſcientia fieri ad res gerendas iudicet.

Reſpondetur ad obiectionem: ſatis vtilitatis redundare in publicum ex ſcientia ICti Iuridica.

§. XV.

Quod tertium attinet dubium, minime aliquid iuridici ſtudii praeſtantiae detrahere animus eſt. Excuſabitur enim facile ICtus, ſi in fabricandis operibus, laboribusue rureſtribus ſubeundis, corpus defatigare nolit. Illud ſaltem cum MORHOFIO recte ſuadebitur illi, vt multarum operationum rationes exploratas habere ſtudeat. Aliud eſt *theoreticus Oeconomus*, aliudque *practicus*, nec ſemper, vt idem vtrumque ſimul ſit, neceſſe eſt. Scire, quae ſint in negotiis Oeconomicis huius, alteriusue effectus cauſae, quae illa expediendi ratio, quidue iis vtilius peragendis aptum, haec quomodo poſſint eſſe indigna ICto? non video.

Reiicitur denique: minus decere ICtum Oeconomica tractare.

deo. Exercitatio contra, et vſus, qui peritiae in vna vel altera Oeconomiae parte vulgaris eſſe ſolet, abeſſe ab iſta ſcientia poteſt. Alium enim nobiliorem huic ſubſtituet ICtus Oeconomicae artis vſum, ſi eandem in variis a ICto expediendis tantum negotiis applicare ſcite calleat. Quod idem nunc eſt vberius explanandum.

§. XVI.

Ratio II. Magis expedit prae rebus parum ſaepe vtilibus artem Oeconomicam diſcere, in negotiis Iuridicis cum fructu ſaepius applicandam.

In doctrinas multi non vbique neceſſarias, nec ſolas vtiles, nimis magnam conferunt ſtudium. Nimio ALII trahuntur in ius Romanum affectu, et prorſus fere negligunt leges, moresque patrios, quod ſalſe arguit PRASCHIVS *de ICto vero, et perſonato p. 95. ſq.* inquiens: *Ius Romanum, quod Iuſtinianus olim in Thracia protulit, multi ſunt egregie ſatis edocti, qui iidem, cum in media nati ſunt Germania, Receſſus Imperii, caeterasque Pragmaticas Sanctiones, vix ſemel in vita conſpexerunt.* ALII totam impendunt operam in ea, quae in foris, et ad vſum Practicum, noſſe iuuant, principia vero iuris, ex quibus tamen omnis ſana cauſarum in Praxi obuenientium tractatio, et diiudicatio, fluit, penitus ſpernunt: ALII demum aliter diſtribuunt operas. *Pauciſſimorum* vero *contemplationem*, vt verbis vtar BACONIS DE VERVLAMIO *in eius nouo organo lib. 1. aphor. 119. morantur, detinentque, res, quae familiares ſunt, et frequenter occurrunt*, inter quas ſine dubio Oeconomicae res pertinent.

§. XVII.

Eſt autem tam in ſuſcipienda, quam in ingredienda ſtudiorum ratione illud etiam inprimis attendendum, quae res ſint ſcitu digniſſimae, et ex quarum cognitione maxima redundet vtilitas. Neque igitur ſolum ICto commendandum eſt, vt ex iure Romano applicabiliora praeferat, theoreticas, practicasque doctrinas aequali ſtudio tra-

ctet,

ſtet, ſed merito etiam in doctrinis Oeconomicis curam, operamque, ponet, quarum in applicatione iuris non eſt mediocris vſus.

§. XVIII.

Siue enim conſideres ICtum, tanquam *de iure reſpondentem*, aut per *ſententias lites dirimentem*, ſiue tanquam *cauſarum Patronum*, ſiue aliud munus publicum expectantem, vbique deprehendes, perutile ipſi eſſe, ſi in nulla Oeconomiae parte hoſpes euadat. Cuius rei veritatem vel etiam ex praeiudiciis, in diuerſis dicaſteriis circa rem Oeconomicam confectis, collectisque a IOANNE GVILIELMO WVNSCHIO *in Memoriali Oeconomico-Politico-Practico p. 182. ſqq.* facile perſpiciet aliquis.

Et in pronunciando, et in patrocinando, et ad meliorem fortunam, ſaepe ICtum non poenitebit Oeconomica noſſe.

§. XIX.

Oeconomica publica id potiſſimum intendit, vt Princeps ſatis ſemper habeat, vnde dignitatis, ac Reipublicae onera ſuſtinere poſſit, nec tamen nimium a ciuibus exigatur. Hic vero finis quomodo attingi debeat, multarum rerum cognitione opus eſt. Cum enim diuerſi ſint modi fiſcum augendi Principis, vti ſunt adminiſtratio, aut locatio domaniorum, praefecturarumue, exercitiumque iurium fiſci, v. KLOCK *in aerario, L. 1. c. 2. n. 20. ſeqq.* diuerſa etiam rerum ſcientia eſſe debet, ſi iudicare velis, an ſuum habeat Princeps absque ciuium damno. Nec eſt, quod eiusmodi ſcientiam iis tantum eſſe debere putes, qui conſtituunt *Camerae*, vt loqui amant, *Collegium*. Suo et ii iure ſibi talem acquirent, quorum labor in perueſtigando, quid iuris ſit, aliorumque periculis verſatur.

Cognitio rerum Cameralium Iudici et Patrono cauſſae ſaepe proficua eſt.

§. XX.

Quid enim ſi iudicandum eſt de fructibus domaniorum, ſatisne acceperit Princeps, an adminiſtratoris culpa damnum ſit paſſus? Tum ſane ad verum rei iudicium, iuſtam-

Caſus aliqui, vbi expediet ICto multum labor, quem

Oeconomicae publicae tribuit.

iustamque causae defensionem, multum faciet, rerum, vnde petendi sunt fructus, naturam atque indolem, et quinam vtilissimus eas tractandi modus sit, nosse. Ad decidendas et componendas lites circa reditus metallifodinarum, salinarum, molendinorum, rerumue aliarum, vnde Principis augentur opes, exortas, maxime scire iuuabit, qualis earum exstructio, tractatio, curaque esse debeat, nec, qui causas tum partium agunt, earum iura vix explanabunt solide, nisi sint doctrinis de hisce rebus Oeconomicis satis imbuti.

§. XXI.

Vtilis est ICto collata in priuatam Oeconomicam opera.

Desideratissimus omnium Oeconomicae priuatae finis est opum adquisitio. Haec autem omnibus vna esse nequit. *Alii* agrorum culturae, vniuerso hominum generi perquam salutari, dant operam: *Alii* res, quas natura gignit, ad hominum praeparant vsum, aut aliter naturae regula studia metiuntur sua, et cuiuslibet animus est facultates inde sibi comparandi, quae ad sustentationem sufficiant. Neque dubitabit vllus, et hunc in finem varias eiusmodi homines callere cautelas Oeconomicas debere. Sed quid haec ad ICtum? Iustitiae sacerdos dicitur *in l. 1. π. de I. et I.* et hinc merito etiam totus in eo est, vt, sicut in reliquis praeceptis iuris, ita et in eo custodiatur iustitia, quod *cuique vult tribui suum.* Vt vero tanto accuratior quoad hoc praeceptum aequi, bonique notitia ICti sit, multum tribuere mihi videtur, si laborum, studiorumque hominum, quibus sibi pariunt opes, aliquam cognitionem habeat.

§. XXII.

Transitio ad casus, vbi priuata Oeconomica ICto opus est.

Largietur mihi hoc forsan aliquis lubentius, si per varios probatum dedero casus, quaenam in vno, alteroue, tam ex rurestri, quam ex vrbana Oeconomica, quasque scientias vtrique administras, scire expediat iis, qui ius reddunt,

aut

aut partium iura defendunt. In eo itaque nunc occupatus ero.

§. XXIII.

Fuit nimirum aliquis *m. f.* possessor praedii rustici, et restituendi ab eo sunt vero domino fructus percepti, percipiendique; Qua, quaeso, ratione commodius iudex de posterioribus iudicare, aut causae patronus eos exponere, poterit, quam si cautelas Oeconomicas de agrorum cultura, pecudum vsu, aliasque, noscit? Colono mercedis a locatore pars ob sterilitatem intolerabilem vt remittatur, suadet *l. 25. §. 6. π. loc. cond.* et talem esse existimant *Dd.* aliqui, si colonus ex fructibus natis ne dimidium pensionis, seminis, et expensarum, perceperit. Quod si talis eueniat casus, quid erit sententiae ferendae, aut defensioni causae aptius, quam si sciat ICtus, artis Oeconomicae gnarus, aut ex relatione peritorum Oeconomorum eo perspicuius intelligat, quales ex semine sparso pro eius, agrique, conditione sperari fructus alias possint. Idem erit dicendum, si ob pestiferam luem, qua infecta pecora periere conducta, colonus remissionem petat. Tum enim iudici ex doctrinis Oeconomicis notum esse debebit, quaenam tum sint prouidenda, quantumque inde sit damnum, et, qui caussam coloni agit, ex iis eam eo intelligentius deducet.

Applicari potest Oeconomicae rurestris cognitio, si quaestio est de fructibus restituendis, vel de mercede remittenda ob sterilitatem, ob pecora conducta mortua,

§. XXIV.

Diuidenda inter agrestis hominis liberos hereditas est, decernenda legitima, inquirendumue in gestae tutelae rationem. Age, quantum iudici tum, aut caussae patrono, adiumenti erit in Oeconomicis peritia rebus? Quod si enim, quaenam, et quanta sint mortui bona, iudicare, vel docere velit, ex principiis Oeconomicis vera eorum aestimatio petenda prius erit, quam pars certa liberis, aut

vel si actio hercifcundae familiae a rustici liberis instituatur.

legitima portio, adſignari poterit. Neque tuto ſtatuetur, an recte ſeſe geſſerit tutor, nec ne, ſi neſciatur, qualis in hac vel illa Oeconomiae ruſtris parte cura et diſpoſitio debeat eſſe. Huc etiam pertinere videtur, ſi inter heredes feudales et allodiales lis ſit de piſcaturae fructu. Cum enim Feudiſtarum ſchola eum allodialibus tum demum adiudicet, ſi defunctus Vaſallus vltra dimidium temporis vixerit, per quod piſces in piſcina relinqui debent, facile hinc colligitur, ICtum in definiendo tempore illo rite proceſſurum non eſſe, niſi ex regulis Oeconomicis certus ſit, quale requiratur tempus, antequam piſces capi poſſint, ſiquidem illud non vbique vnum idemque eſſe ſolet. Vid. STRVVII *Synt. Iur. feud. in Append. Centur. Deciſ. p. 5. dec. 8.* RICHTER *dec. 56. n. 9.* ibique reſponſ.

vel ſi heredes feudales et allodiales de piſcaturae fructu inter ſe diſceptent.

§. XXV.

Ex Oeconomicae vrbanae regulis accuratius indicabit ICtus de enormi laeſione vel de cauſis opificum, aut artificum,

Quantum ad vrbanam pertinet Oeconomicam, et eadem ICtus aegre carebit, ſi, vt debet, cuſtos legis illius eſſe velit, quae ſuum cuique dare praecipit. Finge enim, queri aliquem, ſe enormiter eſſe laeſum emta re arte, manuue facta. Finge, inter opifices aut artifices de rebus ad opificia, vel artes, ſpectantibus litigari. Hem, quaeſo, quam facilis fiet aequi, bonique, cognitio, ſi talis in rebus Oeconomicis adſit? Certe vix clarius enormis apparebit laeſio, quam ſi ex grauitate operis, magnitudine laboris, et vſu rei Oeconomico, verum eius cognoſcatur pretium. Vix in cauſſis artificum, opificumque, cum Iudex, tum cauſſae defenſor, bene procedet, aut rem perſpicue proponet, niſi technicas calleat voces, aliaue non ignoret, quae ex artis, vel opificii, regulis ſunt ad tuenda cuiusuis iura neceſſaria. Ne dicam de exiſtimatione ICti, cui multum omnino detrahitur, ſi ob eiusmodi quandoque inſcitiam haec apponuntur ſententiae latae: Würde Kläger

durch

durch einen andern und geschicktern Advocaten seine Nothdurfft vorbringen lassen ꝛc. vti pronunciatum fuisse testis est B. RIVINVS *ad O. P. S. tit. 3. En. 11.*

§. XXVI.

Finge porro, societatis iudicium institui, aut de damno infecto, suggrundis, et proiectionibus agi, et iudicabis, numne hic etiam ICto vtile foret, indolem vnius, alteriusue, modi opes quaerendi habere perspectam? Sane si de administratione gesta, lucro communicando, aut resarciendis damnis, restituendisque expensis, certus esse cupiat iudex, aut caussae defensor, satis de negotio, cuius intuitu societas inita fuit, informatus vt sit, opus erit. Si petatur cautio de infecto damno, in aedium, quae ruinantur ruinam, conditionem secundum Architecturae praecepta inquirere fas est, antequam recte concluditur, an fundatam intentionem habeat actor. Et licet ocularis hoc casu inspectio iuratis in arte peritis plerumque in sententiis demandari soleat, nihilominus tamen, vt et iudex, et aduocatus, principia istius artis intelligat, merito exposcetur. Nec enim alias iudex e confecta ichnographia recte de caussa cognoscet, nec habebit aduocatus, vnde iura clientis satis prosequatur, si, vt mutus piscis, interfuerit inspectionis actui, neque, quid actum sit, intellexerit.

vel de caussis Sociorum,

vel si agatur de damno infecto.

§. XXVII.

Praetereo plura negotia iuridica, quibus scite perficiendis Oeconomica recte adhibetur scientia. Deuenio ad alias rationes, quarum contemplationi ea inesse vis mihi videtur, vt ICtus, in nullo adhuc dignitatis publicae gradu collocatus, eiusmodi scientiam ad eundem obtinendum sibi nec inter alia inutilem fore, persuasus esse queat.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Ratio III. ICtus multarum hodie rerum gnarus esse debet, si benigniorem ipsi esse fortunam velit.

Non ab imperita solum multitudine audiri saepius solet: Ein Juriste müße in alle Sättel gerecht seyn, sed idem etiam commune fere omnium, qui iuris studio sese dicare malunt, solatium est, si de afflicta hodie ICtorum conditione cogitant, et bene de fortuna sua sperant, quod nempe in permultis ipsorum opera vti patria possit. Nec male agunt. Cum enim propter illicitas ICtorum quorundam artes omnium paene nomen sit factum inuisum, eoque peruentum, vt melior frequentius illiteratos fortuna maneat, paucos sane Praxis, vt vulgo dicitur, alit, et necesse ideo ICtis est, viliora saepe munera petere, in quorum administratione nullus, vel exiguus, literarum vsus est, quarum praeter haec pretium nostro multum aeuo vilescere coepit.

§. XXIX.

Haec autem cum ita sese habeant, et quum nesciat aliquis, cuinam aliquando praeficietur muneri, quis est, qui dubitet, ICti esse curare, vt praeter iura et aliis instructus scientiis prodeat, ad sternendam faciliorem fortunae suae viam idoneis? In hunc vero merito etiam Oeconomica veniet censum. Cum enim, vt supra *§. IX.* monitum, omnis generis Oeconomia multum ad salutem publicam adfert, non fieri potest, vt nullius pretii sit de rebus Oeconomicis cognitio, iique non ornentur honoribus, qui eadem plurimum prae caeteris praestant.

§. XXX.

Recensentur officia, quae non, nisi a prudenti simul Oeconomo, ambiri tuto possunt.

Nec etiam deficiunt honores, et officia, quibus non recte quis fungetur, nisi in hac vel illa Oeconomicae parte bene praeparatus accedat. Ita namque optime suo satisfacient officio Assessores, officialesque Camerae Principis, si principia Oeconomicae publicae, qualisue priuato-

rum

rum Oeconomia ſit, norunt. Is, quem vocant Cammer-Conſulenten, in tuendis Camerae iuribus multum eadem iuuabitur notitia. Dantur Conſiliorum honores, quibus inſpectio in domania Principis demandata, idque officii eſt, vt videant, quaenam ſit Adminiſtratorum Oeconomiae ratio. Quis non in iis earum rerum notitiam quaeret, de quibus ipſis cognoſcendum eſt?

§. XXXI.

Et quid dicam, ſi detur occaſio ambiendi munus in Praefecturis, Collegiis Senatoriis, iudiciisque metallicis, aut ſalinariis, an credet aliquis tali bene praeeſſe officio poſſe, ſi, quanam ex metallifodinis, fontibusque ſalinariis, ratione Princeps quaerat opes, aliaue ſcitu neceſſaria, fugiant ſcientiam eius? Praefectorum honores vtplurimum tales ſunt, vt nemo, niſi ICtus, eorundem capax eſſe videatur. Hi vero in deſignato prouinciae diſtrictu non ius tantum nomine Principis reddunt, ſed eius etiam aerarium, et Oeconomiam adminiſtrant. Certa eorundem curae immobilia ſunt commendata. Percipiunt fructus et reditus ex caſtris, aedificiis Principalibus, villis, molendinis, praediis, pratis, agris, fluminibus, aliisue praefecturae pertinentiis. Id quod pluribus docet IACOB DOEPLERVS *in Tr.* cui titulus: **der getreue Rechnungs-Beamte.** Quidni ergo haec cura, et adminiſtratio, damnumque ex eadem male geſta metuendum, per *Reſcr. Reg. de anno 1715. in C. A. T. II. p. 70.* ICti excitare animum poſſet, vt exercitatior in adhibendis cautelis Oeconomicis tale capeſſere munus cuperet?

§. XXXII.

Idem ſibi quis dictum putet, cui euenit dignitate quadam ſenatoria in vrbe ornari. Vti enim parum ex re

totius cuiusdam Collegii Senatorii eſt, quod amplas habet opes,agroſque, praedia,Syluas,aut alia bona poſſidet,niſi beneficio regularum artis Oeconomicae optimam quamuis de iis diſponendi rationem calleat: ita praeprimis commiſſa Aedilibus, ſicubi tales ſunt, aedificiorum, viarum, fontium, rerum venalium, menſurae, ponderisue iuſti, cura homines Oeconomiae peritos haud dubie poſcit.

§. XXXIII.

Ratio IV. Pauci Oeconomiae amatores dantur, et tales eſſe, prae reliquis eruditis, ICtorum eſt.

Neque eſt, quod quis tantam peritorum Oeconomorum copiam eſſe autumet, vt difficilis ſit deliberatio iis, qui de diſtribuendis honoribus ſolliciti ſunt, quemnam potiſſimum negotiis Oeconomicis praeficiendum putent. Si enim hoc eſſet, vnde tam miſera et publicarum, et priuatarum, fortunarum conditio?

§. XXXIV.

Cum igitur ad temporum caſus conſiliorum rationes accommodare prudentis eſt, ſapienter omnino ICtus aget, in ſcrutandis artis Oeconomicae praeceptis elaboraturus. Sic enim, quo deſideratiores ſatis in ea arte praeſtantes homines ſunt, tanto ſane facilior ad honores aditus fore, moxque ICtus prae aliis emerſurus eſſe videtur, ſi ſtudioſiorem in Oeconomicis oſtendere induſtriam poſſit. Ac praeterea tale quoque ſtudium prae reliquis omnibus, eruditorum nomine claris, ICtorum ordini commendare, atque iniungere mallem. Etenim Theologo nihil debet eſſe antiquius, quam vt ex veris Theologiae principiis hominum animi ad pietatem, iuſtitiam, aliaſque virtutes, chriſtiano homine dignas, alliciantur, adſueſiantque. Atque haec ſi ſumma cum fide ac integritate ſtudeat, tantum ad publicam vtilitatem confert, vt nihil addi poſſit, debeatue, nec erit, cur partem laboris in aliena, veluti artem

tem Oeconomicam, publicae vtilitatis gratia impendat. Medicus equidem inter alia etiam prae caeteris in exquirenda indole, ac detegendis rerum naturalium caufis, occupatus eft, adeoque illa fcientia modos edoctus iisdem rebus prudenter et caute vtendi vel maxime ad culturam artis Oeconomicae contribuere fuum, et multum prodeffe publice poffe videtur. Sed nec ab illo iure hoc poterit expectari, poftulariue. Tam enim late patet ftudium Medicum, tantus attento ad rem labor, tantaque iam in eo vtilitas publica eft, vt in alienis doctrinis confumere tempus male, et contra finem propofitum actum foret. Stabit ergo fententia, inter eruditionis gloria dignos homines ftudium Oeconomicum ICti munus fere proprium effe. Ne enim dicta repetam, ex illius hodie re inprimis effe, praeter iuris fcientiam et alias vtiles haufiffe doctrinas, illud affercre adhuc a re alienum non erit, prae omnibus eruditis reliquis ICtum ad capeffendos honores idoneum effe, quibus ornatus partim melius res perficiet fuas, fi fit Oeconomus, partim adminiftrarum arti Oeconomicae fcientiarum beneficio ad emendanda varia in hac vel illa eiusdem artis parte capax erit.

§. XXXV.

Exemplum illuftre ICti, qui ob Oeconomicam prudentiam maxime in pretio fuit.

Quod fi auctoritate confirmanda res eft, et commonftrandum, quanta in exiftimatione apud Principes etiam fint homines, maiori prae aliis in rebus Oeconomicis fcientia confpicui, intuearis, velim, illuftriffimum exemplum L. B. a SCHROETERN, cuius induftriae, capacitatisque hac ex parte memoria et fama nullo vnquam morietur tempore: Ita enim eiusdem exornauit laudes *Ill.* IOANN. GVILIELM. GOEBELIVS *in praef. ad* ADR. BEYERI *Tr. de Collegiis opificum: Vixiffe illum*, inquiens, *in aula* ER-

NESTI *Pii, Ducis Gothani, et huic rationes* COLBERTI *rem Cameralem instituendi felicissime ostendisse, illiusque consilia tam prospero euentu gauisa esse, vt dictus Princeps ex solis reditibus forestalibus, venatoriisque, sibi cum copiosa familia, septem Principibus iuuentutis ornata, quae cultui et victui quotidiano inseruiissent, largo satis prouentu acquirere potuisset:* imo LEOPOLDVM, *Imperatorem, gloriosissimae memoriae, tanta huius viri in re Oeconomica peritia commotum, eum* LIBERI BARONIS *axiomate ornatum, in suam vocasse aulam, vt rem cameralem ad meliorem statum reduceret, ac superflua resecaret.*

§. XXXVI.

Vnde acquirenda scientia Oeconomica?

Requiretur autem fortasse nunc, quemadmodum, cum haec ita sint, in tali scientia excellere aliquis possit? Cognoscas, quaeso, nam non sine causa quaeri videtur. Generosissimus *Dn.* a ROHR *in cit. supra libello : Compendieuse* **Hauß-Haltungs** *- Bibliothec. c. 1. §. 27.* huc facere praeprimis existimat, si sit in Academiis Oeconomiae Professor, qualis in vicina Halensi. Verum *Dn.* MVLLERVS *in P. II.* **der Einleitung zu den** Philosophi**schen Wissenschafften, von der** Politic *in not. ad §. 11. Cap. X.* se non credere posse fatetur, specialiores scientias Oeconomicas, veluti Oeconomicam vrbanam, atque rurestrem, inter eruditionis disciplinas, vtiliter in Academiis systematice proponendas, recte referri, eoque ipso consilium *Dn.* a ROHR reprobare videtur. Vt quisque volet, accipiat. Ego, cum ex voto *Dn.* a ROHR non detur in Academiis in Oeconomicis proficiendi doctrinis sufficiens occasio, CHRISTIANI HENELII auctoritatem sequor, idque iure fecisse videor. Talia enim *in libello*, cui titulum fecit; STATVA MERCVRIALIS, *Cap. 8.* suadet: *Quomodo*, ait, *Oeconomica*

ea prudentia paranda ſit, ſi quaeras, potius ad experientiam, quam ad libros, vt bonus ſias Oeconomus, te ablegarem: experientiam vero partim ex oculari inſpectione, partim ex ſolerti et curioſa indagatione, atque colloquiis cum peritis Oeconomis, cum praefectis, villicis, cum ruſticis, molitoribus, hortulanis, piſcatoribus, item aliquando cum vetulis mulierculis, tibi comparare debebis. In eo ſaltem liceat mihi tanti Viri pace illius improbare conſilium, quod commentatores de re Oeconomica euolui nolit. Cum enim egregius hodie in omni Oeconomiae ſpecie ſcriptorum magni nominis numerus ſit, ex horum ſane praeterea fontibus quilibet iudicio, arbtrioque ſuo, quantum videbitur, non ſine fructu hauriet.

§. XXXVII.

Sed ſatis mihi feciſſe verba videor. Colligas, quaeſo, B.L. num dubitandum ICto ſit, inter alia nec Oeconomicam negligere artem, *vnde magna omnino in Rempublicam redit vtilitas, et quae in negotiis iuridicis auxiliatrices manus praebet, faciliores ad Rempublcam pollicetur acceſſus, ac denique inter paucos ſui amatores inprimis ICti operam ad ſui ipſius culturam expoſcit.* Immortales DIVINO NVMINI gratias refero, quod labores meos auxilio ſuo beare clementiſſime voluerit, idque vt in poſterum quoque mihi proprium, et perpetuum ſit, humillime rogo, atque obteſtor. *Epilogus.*

✲ ✲ ✲

COROLLARIA.

I.

Notum eſt, quod illuſtres atque nobiles perſonae negotia a ſe celebrata ſaepe ſub ſplendore dignitatis, **bey Fürſtlichen, Gräflichen, Adelichen Ehren, Treu, und Glauben,** confirmare ſoleant; Quaeritur itaque, ſi, qui vſus eſt hac formula, contra promiſſionem agere velit, an opus relaxatione habeat? Negant multi, praeprimis CARPZOV. *P. II. C.36. def. 10.* et ex eo MEVIVS *P. I. d.132. n.7.* Affirmant alii, quos inter eſt STRVV. in *diſſert.* de relaxatione iuramenti ad effectum agendi, *c. 2. §. 21.* cui accedit ZOLLIVS in *diſſert.* de promiſſionibus generoſa fide vallatis, *cap. vlt.* Quorum opinionem et nos defendi poſſe putamus.

II.

Vtrum *l. 31. π. de iureiur.* vi cuius iuramentum ſuppletorium, vel purgatorium, ob nouas repertas probationes reſcinditur, ſaltim intelligenda ſit *de inſtrumentis nouiter repertis*, an vero etiam *de teſtibus*, intelligi debeat? maxima inter Dd. controuerſia eſt. Nobis placet ſententia: *Illam de teſtibus etiam accipiendam eſſe.* Conſent. LVDOVICI *in doctrina π. tit. de iureiur. §. 36.* SCHVBERT. *de reuocando iureiurando purgatorio et ſuppletorio §. 9. et 24.* Illuſtr. LEYSER. *Spec. ad π. 145. med. 2.* et alii. Quae ſententia tamen hodie in Electoratu Saxoniae vſu deſtituitur per O. P. S. N. *tit. 30. §. 3.*

III. An

III.

An contractus emphyteuticarius requirat ſcripturam? acriter diſceptant. Nos cum HOPPIO *in Comment. Inſt. tit. de locat. et cond.* adfirmamus de *emphyteuſi eccleſiaſtica*, negamus autem de *ſeculari*. Ad *l. 1. C. de iure emphyteut.* quam vt obſtantem adlegant, in conflictu reſpondebimus.

IV.

Teſtamentum poſterius rumpit prius, licet teſtator huic *clauſulam derogatoriam*, vel etiam *iuramentum*, inſeruerit. v. CARPZOV. *P. III. C. 5. d. 19.* Nec facimus cum SCHOEPFERO *in Synopſi Iuris priuati* tit. *de iniuſto, rupto etc. n. 14.* qui ſtatuit: clauſulae derogatoriae in teſtamento poſteriori fieri debere mentionem, alias poſterius teſtamentum *vi* vel *dolo* extortum videretur.

V.

Emtor theſaurum in fundo emto ab ipſo inuentum, totum ſibi vindicat, venditorque ex *l. 2. C. de reſcind. vend.* agere nequit, vti ab haud paucis ſtatuitur.

VI.

Negotiorum geſtor regulariter culpam leuem ſaltim praeſtat, v. ECKHOLT *ad π. tit. de neg. geſt. §. 8.* non etiam leuiſſimam, v. THOMAS. ad STRAVCHII *diſſert. 16. §. 16 p. m. 406.* Operoſe diſſentit HARPRECHT *ad I. tit. de obl. quae quaſi ex contr. naſc, n. 43. ſqq.*

NOBI-